

# BENEDICTIO OLEI

SIMPLICIS.

## TITULUS TRICESIMUS SEPTIMUS.

SUMMARIUM.

- 1 Aqua sola non est, quae inserviat Sacramentis, et Sacramentalibus.
- 2 Oleum quoque ad hanc dignitatem assumitur.
- 3 Oleum, in quot locis Sacris adhibeatur.
- 4 Oleum simplex quodnam sit?
- 5 Benedictio haec est ordinaria, non Episcopalis.
- 6 Benedictio ista a quocumque Sacerdote potest haberi.
- 7 Exorcismi, cur adhibeantur in Benedictione Olei?
- 8 Oleum solet praestigiis inservire.
- 9 Finis hujus Benedictionis.
- 10 Oleum hoc est ad curandos infirmos, et Energumenos.
- 11 Oleum Lampadis Sanctissimi sumitur pro Benedicto.

1 2 3 Non in sola Aquae substantia, ad salutem humani generis, Deus condidit Sacramenta: Oleum quoque ad hanc dignitatem assumpsit Divina Misericordia, ut in aliquibus Sacramentis locum, et quidem dignissimum haberet, nempe in Baptismo, in Confirmatione, in Ordine, et in Extrema Unctione: ideo pro materia satis nobili, et conspicua habetur Oleum in Ecclesia Catholica, et multimodis purificationibus praeparatur ad inserviendum tam Sacramentis, quam Sacramentalibus.

4 5 6 Textus noster loquitur de Oleo simplici, quae vox *simplex*, dupliciter intelligi potest; nempe quod tale Oleum sit simplex Olivarum, et usuale, non compositum, neque mixtum, aut medicatum. Vel quod talis Benedictio, quae supra Oleum cadit, sit simplex, et ordinaria, non autem, illa solemnis, quae fit ab Episcopo in Feria quinta majoris Hebdomadae, Quart. d. n. 305.

6 8 9 Haec itaque benedictio est simplici ritu facienda, et a quocumque Sacerdote impertiri potest. Sed quaestio ori-

ri potest, cur istud Oleum, Exorcismo adjuretur, non vero alia potentia? Cui respondendum est, videri necessarium hunc Exorcismum, quia materia Olei solet multis praestigiis quandoque fascinari a maleficis, ut ad maleficia inserviat, monente P. del Rio, *disq. Magic. l. 1. p. 1. q. 3. sect. 2.* qui narrat etiam Olivarum ossa incondendo quandoque fieri maleficia. Ut igitur omnis Diabolica virtus abjiciatur, si adsit, instituit Ecclesia hunc Exorcismum, ut ex ipsiusmet Exorcismi verbis clare patet.

10 11 Ultra quam quod istud Oleum solet benedici ad curandos Infirmos, et Energumenos liberandos, et propterea necesse est, ut in illo adsit Virtus a Christo Domino emanata, cujus mandato Apostoli, aliique discipuli ungentes Oleo Infirmos, plurimos a variis morbis liberarunt, et ab innumeris obsessis Daemonia ejecerunt, Quart. d. l. n. 305.

Communiter etiam pro Oleo benedicto sumitur illud, quod ardet in lampadibus coram Sanctissimo Sacramento, vel piis Imaginibus, vel Reliquiis Sanctorum, tanquam Deo dicatum. Certe de eo narrat multa prodigia Gretser. *de Benedictionibus l. 2. c. 23.*

Optimum est, ut istud Oleum distribuatur Fidelibus, ob varias infirmitates sanandas ex intercessione illius Sancti, in cujus lampade ardebat: sed non optimum, nec laudabile esset, si pro gutta hujus Olei, aliquid vel etiam minimum solveretur, nisi hoc ad titulum eleemosynae fieret illi Ecclesiae, seu Altari, ad quod lampas arderet.

# BENEDICTIONES AB EPISCOPIS,

VEL ALIIS FACULTATEM HABENTIBUS FACIENDAE.

## TITULUS TRICESIMUS OCTAVUS.

### SUMMARIUM.

- 1 Sacerdos nosse debet Benedictiones, quae ad se pertinent, et quae ad Episcopum.
- 2 Quales res sint, quae benedici possunt ab Episcopo?
- 3 Benedictiones reales spectant ad Episcopum.
- 4 Et illae, quae Sacra Unctione perficiuntur.
- 5 Benedictiones verbales reservatae Episcopis.
- 6 Possunt ab eo delegari Sacerdotibus Inferioribus.
- 7 Opinio contraria diversorum Auctorum.
- 8 Munus benedicendi spectat ad Ordinem.
- 9 Rationes in contrarium.
- 10 Aliquis minor Episcopo potest habere hanc facultatem.
- 11 Abbates, et alii possunt benedicere.
- 12 Vera significatio Verborum hujus Tituli.
- 13 Opinio negativa magis probabilis.
- 14 Usus invaluit, ut Episcopi substituunt in Benedictionibus verbalibus.
- 15 Isti tamen Sacerdotes debent esse graduati.
- 16 Ratio Episcoporum substituentium.
- 17 Verba Ritualis omnia conveniant simplici Sacerdoti.
- 18 Rituale Romanum pro Parochis elaboratum.

1 Sacerdotem recte distinguere debere, quae sui juris sunt, et quae Episcopi in materia Benedictionum, jam satis exposuimus in Regulis Generalibus de Benedictionibus, a nobis primo loco in *Titulo XLIV.* explicatis. Et hoc ne majoris dignitatis munera, temere, aut imperite umquam usurpet propria autoritate.

Hucusque nostrum Rituale Benedictiones assignavit, quae Parochis, et quibuscumque minoribus Sacerdotibus conve-

niunt: modo ad illas descendit, quae ad Episcopos, vel alios facultatem habentes pertinent.

2 Quales vero sint res quibus a solo Episcopo, vel ab alio facultatem habente impertiri potest Benedictio, habemus ex *Quart. tit. 1. dub. 5. nu. 32.* qui ait, Benedictiones rerum, quae non nisi ut benedictae, sunt materia alicujus Sacramenti, de jure divino pertinere ad solum Episcopum: quare nec autoritate Summi Pontificis, possunt delegari aliis Episcopo inferioribus; sed ad solum Chrisma, et Oleum Infirmorum se extendit ista privativa, non vero ad alias res, de quibus infra dicemus.

3 4 Item spectant ad Episcopum Benedictiones reales, quae Sacra Unctione perficiuntur, atque stricto jure, ita sunt Episcopi propriae, ut delegari nequeant Sacerdoti inferiori. Tales sunt, Benedictio seu Consecratio Altaris, Calicis, Campanarum, etc. atque hoc constat ex *cap. nemo, de consecr. dist. 1. et cap. tua fraternitas, de consecr. Eccl. vel Altaris,* ut docet Suarez, *T. 3. in 3. part. disput. 81. sect. 5. et 7.* Layman *l. 5. tract. 9. cap. 13. n. 7.* Barbos. *de pot. Ep. p. 2. alleg. 27.* Et alii cum *Quar. d. l.*

5 6 7 Inter Benedictiones vero, quae dicuntur verbales, nonnullae sunt, quae Episcopis sunt reservatae: Puta, Benedictio Indumentorum ad Sacrificium inservientium, et omnium, atque singularum, de quibus infra dicemus, et a nostro Rituali identidem enumerantur, atque exponuntur. Istarum rerum benedictio fieri praecipitur ab Episcopis, sed non ita stricte, et rigore est Ordine Episcopali adnexa, ut inferioribus Sacerdotibus nequeat delegari, saltem ex privilegio Summi Pontificis. Nam quaestio est inter Doctores, an Benedictiones verbales superenunciatae, et quae de jure ordinario ad Episcopum pertinent, possint ab ipso Episcopo committi, seu delegari aliis Sacerdotibus, et praesertim sibi subditis?

8 Sententia illorum, qui hoc fieri posse negant ab Episcopo, inicitur illi fundamento, et regulae, non posse Episcopum delegare ea quae sunt Ordinis, sed tantum ea quae sunt jurisdictionis, *c. Aqua, de consecr. Eccl. Sylvest. Benedict. q. 2. num. 4.* Cum vero munus benedicendi spectet ad Ordinem, non autem ad Jurisdictionem, *Sylvest. ibid.* hinc est, quod Episcopus delegare non potest Personam, quae in dignitate Episcopali non sit constituta. Hanc sententiam sustinent Gavant. Barbos. Ugolin. Panormitan. et *Quart. dict. lib. n. 33. in fine.*

9 E contra alii sustinent Benedictiones verbales non ita stricte esse adnexas Ordini Episcopali, ut nequeant committi Sacerdotibus inferioris gradus: sed ratio a *Quart. dict. lib. num. 34.* adducta ad hoc probandum, non omnino videtur esse genuina, cum male ab eo percipiuntur verba nostri Ritualis. Opinio favorabilis fundata est in illis verbis capitalibus hujus

Tituli, nempe *Benedictiones ab Episcopis, vel ab aliis facultatem habentibus faciendae, etc.* Ex his verbis tale argumentum format idem Quartus. Facultas benedicendi indumenta Sacerdotalia, et alia quae sub eodem titulo continentur, potest competere aliis Episcopo inferioribus, et hoc non jure ordinario, sed propria autoritate: ergo ex delegatione: ergo haec facultas est delegabilis; ergo demum potest delegari ab Episcopo, cui de jure ordinario competit.

10 Verum in verbis ejusdem Tituli ista substitutio, seu delegatio non apparet; nam quando dicitur, *vel ab aliis facultatem habentibus*, non per hoc exprimitur, quod talis facultas proveniat ab Episcopo; nam potest dari aliquis minor Episcopo, et major simplici Sacerdote, qui habeat talem facultatem a jure proprio, non ex delegatione: quod confirmatur, *Prov. 2. p. 3. decr. 20.*

11 De facto Abbates, qui medium locum tenent inter Episcopos, et simplices Sacerdotes, a jure habent facultatem non solum largiendi Benedictiones verbales, sed etiam illas, quae Sacra Unctione perficiuntur, Pasqualig. *de Sacrific. Nov leg. T. 2. q. 790*, et ideo benedicendi, et consecrandi Calices, Altaria, Campanas, et alia hujusmodi, Tamburin. *de Jure Abbat. disp. 11. q. 3.*

12 Ex quo infertur, veram significationem nostri Tituli, non versari circa substitutionem, seu delegationem, sed intelligi debere, quod tales Benedictiones, quae in Rituali et in tali Titulo describuntur, possunt tantummodo impertiri ab Episcopis, et ab Abbatibus, caeterisque Regularibus, Praelatis Praepositis, seu quo nomine alio appellentur, qui usum Mitrae, et Baculi habeant, quibus de jure competunt vel omnes, vel plures ex iisdem Benedictionibus, ut late probat idem Quart. *ib. n. 36.*

13 Ergo opinio negativa primo loco allegata, probabilior, et magis consona veritati videtur, scilicet, non posse Episcopos substituere, vel delegare Sacerdotes inferiores, et praecipue in Benedictione Paramentorum, ut in fine sequentis Tituli videbimus, *ex Decr. Sacr. Rit. Congr. 14. Nov. 1615.*

14 15 16 17 18 Usus tamen invaluit (et hoc in praxi a me saepe visum fuit) ut in Benedictionibus verbalibus, in quibus non intervenit Sacra Unctio, sed simplex usus Aquae Benedictae, et Incensi, Episcopi sustituant Sacerdotes minores, sed tales qui aliqua dignitate, vel gradu insigniti sint, nempe Vicarios, Protonotarios, Archipresbyteros, Canonicos, et hujusmodi, qui ab Episcopali caractere, quoad minus fieri possit, distare videantur. Quorum Episcoporum substituentium potior ratio illa est, quod tales Benedictiones in Rituali Romano describuntur. Cum vero in dicto Rituali nulla adsit caeremonia, seu nullus Ritus, qui simplici Sacerdoti, vel Parocho

non conveniat, imo Rituale ad hoc unum elaboratum sit, ut Parochis inseruiat ex constitutione Pauli V. ipsi Rituali anteposita, ideo facilem sibi vindicant hanc substitutionem, quia nihil a Rituali videtur dissentire.

## BENEDICTIO SACERDOTALIUM

INDUMENTORUM INGENERE.

### TITULUS TRICESIMUS NONUS.

#### SUMMARIUM.

- 1 Omnia Sacerdotalia indumenta benedici possunt se junctim.
- 2 Benedictio haec convenit omnibus Indumentis.
- 3 Indumenta debent esse elaborata juxta formas praescriptas.
- 4 Benedictio durat quamdiu durat figura artificialis.
- 5 Perdita figura, perditur Benedictio.
- 6 Vestes deformes remanent suspensae.
- 7 Quando remaneant suspensae Sacrae Vestes.
- 8 Vestes profanae ad Sacrum usum an converti possint?
- 9 Benedictio hujus significationes, et mysteria.
- 10 Qui in Sacris adhiberet vestes non benedictas, peccaret.
- 11 Abbates post Episcopos benedicere possunt Vestes Sacerdotales.
- 12 Pro usu tamen suarum Ecclesiarum.
- 13 Episcopus non potest delegare in praejudicium Abbatum.
- 14 Vestes adhibitae a Schismaticis iterum non benedicendae.

1 2 Etsi quodcumque Sacerdotale Indumentum (dempto Pluviali, ut alibi diximus) possit ex se, et separatim benedici hoc eodem Ritu, transferendo ad singularem numerum id, quod est in plurali, attamen ad evitandam frequentem repetitionem ejusdem formulae, ponitur hic sub una tantum descriptione, Benedictio omnium Indumentorum in genere, applicanda cuique in specie, mutatis mutandis.

3 4 5 6 Haec Benedictio convenit iisdem Vestibus, quando tamen, juxta praescriptionem Sacrorum Canonum, et decreta, sint elaboratae, tam circa materiam, quam circa formam; et durat quamdiu retinent figuram, seu formam artificialem. E contra per fractionem, vel scissionem, qua perditur praedicta figura, perditur etiam Benedictio, et fiunt ineptae ad usum Sacrificii: quare, ipso facto, suspensae remanent, licet

fulminata non sit haec suspensio per decretum in visitatione. Quae regula valet etiam in quibuscumque aliis rebus benedictis, ut docet Quart. d. n. 59.

7 8 Suspensae item remanent, et profanatae Sacrae supellectiles si commodentur profanis hominibus ad profanum usum; puta histrionibus ad comoedias recitandas, vel Personandis, vel Hebraeis pro pignorum venditione. Quod fieri acriter, et sub gravi poena prohibuit S. Carolus, *Act. 1. Prov. 1. p. 2. et 3. tit. de Ecclesiis, et earum cultu, et de Judaeis, cap. Altar. 39. de consecrat. dist. 1.* Quae propterea hac occasione Sarnellius, *Epist. Eccl. t. 7. Epist. 45.* An Vestes profanae quamvis pretiosae, possint in Sacrum usum converti? Fundatur haec Quaestio super gloss. in cap. ad Nupt. de consecr. dist. 1. ubi: *Ad Nuptiarum ornatum divina mysteria non praestentur, ne dum improbarum contactu, pompaeque saecularis luxuriae polluantur ad officia Sacri mysterii videantur indigna.* Et arguit; quod ex veste alicujus dominae, vel alterius, non debet fieri casula, vel aliquis ornatu Ecclesiae. Sed hodie Canon obsolevit, et usus est contrarius; exemplo etiam sanctarum foeminarum, quae vestes suas Deo obtulerunt. Benedictio enim purgat profanum quidquid insit in illis.

10 11 12 13 Significatione, et mysteria, sive effectus hujus Benedictiois satis clare apparent in verbis precum, et Orationum pro tali Benedictioe adhibitarum; ex quibus liquet quanta veneratione dignae sint, et quam necessariae in rebus divinis peragendis: unde qui in divinis Officiis, Vestes, et Ornamenta, ex Ritu, institutioneve Ecclesiae, non benedicta adhibuerit, gravi multa puniri voluit S. Carolus *Act. p. 9. in Tabella erratorum, Prov. 2. t. 2. cap. 20. d. 2. cap. 9.* Statuerat enim in decreto *XX. Concil. Prov. 2.* quod Vestes, et Ornamenta cujusvis generis, ad usum Sacrum comparata ex Ecclesiae institutione, benedici deberent, et ne prius adhiberentur, quam solemnibus precibus ab Episcopo, vel ab alio, qui auctoritatem haberet, benedicta essent: ex quibus postremis verbis, quae cum nostris titularibus concordare videntur Tituli antecedentis, magis comprobatur, esse in Ecclesia tales Personas post Episcopos, quibus de jure competit talis Benedictio, et hi sunt Abbates, et Regulares Mitrati, qui prout diximus, possunt benedicere Paramenta Sacra, pro usu tamen suarum Ecclesiarum, non vero aliarum: alias puniri possunt censura Interdicti ab ingressu Ecclesiae, vel suspensionis ab usu Pontificalium, cum hoc ipsis expresse vetitum sit a *Decr. gen. S. R. C. 27. Sept. 1659. et 20. Julii 1660.* quoad hoc confirmatis, et approbatis ab Alexandro VII. ad tradita per Monacell. *T. 3. form. 6. n. 23. edicti convocationis Processionis.* Hinc est, quod Decretum *S. R. C. 14. Novemb. 1615.* non posse Episco-

pos delegare Benedictiones Paramentorum aliis, allegat, a Gavant. *Manual, Ep. verb. Benedictio, num. 5.* intelligi debet, sine praejudicio Abbatum, et illorum, quibus talis Benedictionis usus competit. Vide Pasqualig. *de Sacram. novae leg. qu. 790. T. 2.*

14 Ultimo loco notandum est, Vestes Sacerdotales cum quibus Schismatici Sacrum celebraverint, non esse iterum benedicendas. Anaclet. *l. 1. decr. tit. 16, de Sacr. non. iteran. n. 30.* nihil enim influunt ad conficiendum Sacramentum Eucharistiae.

# BENEDICTIO MAPPA RUM,

SIVE LINTEAMINUM ALTARIS.

## TITULUS CUADRAGESIMUS.

### SUMMARIUM.

- 1 Mappa ac Tobalea, seu Linteamen idem sunt.
- 2 Dicitur etiam Lineum Velum.
- 3 Tobalae tres super Altare extendi debent.
- 4 Ideo debent benedici.
- 5 Opinio, quod non sit necessaria ista Benedictio.
- 6 Benedictio haec est de praecepto.
- 7 Qui sciens celebraret supra Tobaleam non benedictam peccaret.
- 8 Rubrica haec est praeceptiva.
- 9 Pignatellus revocavit sententiam suam.
- 10 Tobalae possunt esse ex Canape, vel Gossypio.

1 2 Linteamen, seu Mappa idem est ac quod communiter dicitur *Tobalea*. Dicitur etiam Lineum Velum, ex qua materia pro cooperiando Altari, juxta Bonifacii III. Decretum, esse debet, quae a S. Clemente *Ep. 2.* appellatur *Palla*, sive *Syndon*; item *Endoxys*; de quibus consulendus est Macrius in *Hierox.* et Gavant. qui explicat originem, antiquitatem, materiam, mensuram, et ejus usum.

3 4 5 6 7 8 Quod super Altare, ubi Divinum Sacrificium celebratur, debeant, ultra corporales, tres Mappae extendi, habemus ex *c. si per negligentiam, de consecr. dist. 2.* Ideoque cum ad tam magnum Sacrificium inserviant, congruum est, ut Sacra Benedictione consecrentur; nisi necessitas aliter suadeat Sylvester *verb. Benedictio, qu. 5.* Azor. *l. 10. c. 28. q. 8.* Imo Suarez hac de re negat jus aliquod esse *3. p. disp. 81. sect. 5.* cui videtur adhaerere Pignatell. *T. 9. cons. 186. n. 1.* asserens non esse necessario benedicendas Mappas Altaris, contra quem novissime insurgit Monacell. *d. T. 4. ad II. T.*

COM. T. II.—P. 41.

tit. 16. form. 2. n. 335. et plenissime laxiorem opinionem Pignatelli reprobans, probat hanc Benedictionem esse de praecepto, nec posse omitti. Rubrica enim Missalis in *tit. de defect. grav. in ministr. Miss. occurrent.* hunc defectum ponit his verbis—*Possunt etiam defectus occurrere in ministerio ipso, si aliquid ex requisitis ad illud desit: ut si celebretur in loco non Sacro: Si vestes Sacerdotales, et Mappae non sint ab Episcopo, vel alio habente hanc facultatem benedictae, etc.* Et hinc est, quod qui scienter celebrat extra casum necessitatis super Altare coopertum cum Mappis non benedictis, non est immunis a culpa ut advertunt Gavant. *p. tit. 20. litt. S. Pax Jord. t. 1. lib. 4. tit. 1. nu. 225.* quia Rubrica est praeceptiva, et imperativa, ut clare patet ex verbis relat. in *tit. de Praeparat. Altaris*; ibi: *Hoc Altare operiatur tribus Mappis, ab Episcopo, vel alio habente potestatem, benedictis*, Rota decis. 238. coram Coccin. Monacell. *dict. l. n. 336. 337.*

9 10 Quod et recte cognovit idem Pignatell. *cons. 98. n. 36. T. 6.* ubi loquens de praeparatione Altaris erigendi in Oratorio, etc. haec habet: *Estque necessario cooperiendum tribus Mappis, seu Tobaleis ex Lino, vel Canapi, vel ex Gossypio, etc. ab Episcopo, vel alio habente potestatem benedictis.* Ex quo patet etiam, Materiam Mapparum posse esse Canapim. et Gossypium.

## BENEDICTIO CORPORALIIUM.

### TITULUS CUADRAGESIMUS PRIMUS.

#### SUMMARIUM.

- 1 Multa dicta sunt de Corporali in Titulo de SS. Viatico.
- 2 Corporalia benedicenda sunt ab Episcopo.
- 3 Quia tangunt Christi Corpus consecratum.
- 4 Inter Graecos a solis Episcopis benedicuntur.
- 5 A Graecis sacro Chrismate unguuntur.
- 6 Corporale immundum adhibens, peccat.
- 7 Corporalia non amittunt Benedictionem, quando lavantur.
- 8 Palla, seu Animetta an benedicenda?
- 9 Etymologia hujus nominis Animetta.

1 Facta est alibi mentio de Corporali, tunc cum sermo habitus fuit de Sacramento Eucharistiae, et praesertim de SS. Viatico: ad quae loca potest Lector accedere, et ibi Etymologiam, originem, antiquitatem, usum, et mensuram, figuramque cognoscere cum Gavanto, et aliis.

2 3 Benedicenda quoque sunt haec Corporalia vel ab Episcopis, vel ab Abbatibus, etiam si inserviant alienis Ecclesiis, juxta opinionem Pasqualig. *qu. 790.* quia inserviunt Sacrificio Altaris, et digna facta sunt, ut tangant Sacratissimum Christi Corpus in Hostia consecratum.

4 5 6 7 Ideo inter graecos Corporalia benedicuntur a solis Episcopis, consecrantur, et Sacro Chrismate unguuntur, Macri *Hierolex.* modo vero ab iis etiam, qui a jure facultatem habent, prout sunt Abbates, etc, sed amplius non adhibetur unctio cum Chrismate, quia obstat nitori: et munditiae, quae ornari debent specialiter corporalia; unde qui iis immundis utitur, secundum Doctorum opinionem, non excusatur a mortali, si immunditia sit notabilis, *c. Relinq. de Custod. Euchar. in 6.* Immunditia vero non est causa amissionis Benedictionis; nam Corporalia tunc amittunt illam, quando ita lacerantur, ut amplius inservire nequeant, non autem quando lavan-